337

Digitized by Google

Hist. 1439.

BIBLIOTHECA

P. C. LAMMENS.

THEEK GENT

89

Digitized by Google

VITA
IOANNIS DANIELIS SCHOEPFLINI
FRANCIAE HISTORIOGRAPHI

SCRIPSIT

ET CVM INAVGVRARETVR

SOCIETAS LATINA

QVAE CAROLSRVHAE EST

PRAELEGIT

FRID. DOMINIC. RING

SERENISSIMI PRINCIPIS MARCHIONIS

BADA DVRLACENSIS A CONSILIIS

AVLAE.

CAROLSRVHAE,

Typis Lotterianis descripsit Io. FRID. CORN. STERN, 1767.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAELOQVIVM.

Societatem Latinam magnis auſpiciis apud nos inſtitutam inauguraturi conuenimus, Auditores. Fecit Inaugurationis initium Orator Veſter; meum nunc eſt, vt, quam publice dedi, fidem exſoluam. praelegamque Vobis Vitam Viri Illuſtris IOANNIS DANIELIS SCHOEPFLINI, Franciae Hiſtoriographi, in his terris nati, in hac ipſa Schola primis olim literarum elementis imbuti, qui ſummum Marchiae et Orbis literati ornamentum, Latinae Linguae et Elo-

quentiae promus condus, Hiſtoriographorum ſeculi noſtri facile Coryphaeus, communis, non Germaniae, ſed Gentium praeceptor, de his ipſis, quas beati incolimus, terris, de Principe et Principatus hiſtoria immortaliter meritus eſt. Quod dum faciam, habebitis ſimul, Iuuenes, domeſticum Viri in his literis, ad quas tractandas in Societatem coiuiſtis, exemplum, quod ſi imitemini, non poteritis non ad eandem, quam Ille, gloriam aſcendere.

Oratoria laus SCHOEPFLINI immortalibus operibus, ad ſeros vsque nepotes ituris, ſuperſtructa eſt, principatumque Is Latinae Eloquentiae per integrum iam fere ſemiſeculum tenet et ita tenet, vt quos Illi comparem paucos, quem anteponam, habeam omnino neminem. Noui quidem et ego Panegyricos ſcite, compte et ita vt magnas in oratoria arte vires oſtendant, huic vel illi Prin-

Principi hinc inde noſtris temporibus latina lingua dictos; at enim vero qui quatuor et viginti Panegyricos eidem Principi, Iuueni, Marito, Patri, Bellatori, Pacificatori, in ſitu rerum ſaepe felici et tranquillo, ſaepe dubio et turbulento, vbi haeſerit omnis alius, dixerit et noua ſemper arte, nouo ſemper cum applauſu, eoque optime merito dixerit, certe nec ego quenquam, nec Vos omnes noueritis, praeter SCHOEPFLINVM. Et haec tamen Eius minima laus eſt, qui non vnius generis prodigia edidit, ad quae audienda beneuolam aurium operam, iis quibus quemque decet, formulis expeto; ſi prius illud, quod pariter praemonendum duco, praemonuero: mihi, ſi qua fuit olim in me bene dicendi facultas, longo ſitu illam periiſſe vel certe, quali captare Vos lubenter vellem quaque ipſe mihi ſatisfacerem, me non iuueniſſe, ipſaque illa mentis fa-

cultate, qua, quae ſcripſimus, retinemus, ita me hodie deſtitutum ſentire, vt non Oratorem, quod vehementer vellem, ſed anagnoſten agam invitus

*Fungar*que adeo *vice cotis, acutum*
Reddere quae ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

TIBI ceterum, SOCIETATIS PROTECTORI SERENISSIMO, CAROLO LVDOVICO, terrarum Badenſium HEREDI, noſtris et futuris, quod iam non ſperamus, ſed confidimus, generis humani deliciis, Auorum Parentumque veſtigia laete prementi, quem priuatim iam gratulatus ſum, publice quoque gratulor NATALEM DIEM decimum tertium TEque ad ſumma magno impetu graſſantem, piis

Digitized by Google

piis votis, non tamen aliis, nisi illis, quibus SERENISSIMVS FRATER illo die TE complexus est, hic compello: Vive, Fratrum charissime, acclamantem TIBI audiuisti Illum, viue, crescе et annis pariter ac Sapientia progredere, fac TVO ad summa contendendi conatu noster sis, quem secure sequamur, praecursor, TVIS virtutibus nostrum, quod exprimamus, exemplum, TVA rerum prudentia, TVA morum humanitate PATRIS MATRISque Augustorum simillima proles et dulcis amor, DOMVS nostrae SERENISSIMAE fulcrum et ornamentum, serae posteritati Nomen adorandum. Non haec iam Fratris, sed nostrum omnium vota esse scito, MELLITISSIME PRINCIPVM, scio vero et ego, qui haec pro TE vota nuncupo, TE illis responsurum, illa impleturum, illa superaturum. Quae dum fiunt, SERE-

NISSIMVM PATREM, SERENISSIMAMQVE MATREM TVAM, noſtri Seculi certiſſima Decora, TIBI, nobis, bonis omnibus Deus ſeruet, vt non nobis, qui hodie viuimus, ſed ſeris noſtris nepotibus CAROLVM FRIDERICVM, Principem amatum, populisque Illum deſiderantibus olim reddas, quibus Deus TE dedit, Deus TE ſeruet.

IOAN-

Digitized by Google

IOANNIS DANIELIS SCHOEPFLINI, Viri Illuſtris, Vitam enarrandam mihi ſumſi, Auditores, non quidem, vt Illius nomen et merita per me demum literato Orbi, per quem dudum celebrantur, innoteſcant nec vt diſcipulus in praeceptoris, olim et vsque mei, laudes excurram, quod Ille, quae eſt Viri Summi, inter ceteras virtutes, modeſtia, multis verbis praeſens et abſens deprecatus eſt; ſed vt tum habeant Iuuenes, ad praeclara nitentes, ſcriptaque Viri eum in finem lecturi, quod imitandum, ſi qui poſſint, ſibi proponant illuſtre exemplum et quibus Ille viis ad illam nominis famam aſcenderit, ſciant, tum

vt delectentur Viri, iam in honorum et munerum fastigiis constituti, vitae rationibus, quas instituit ille, quem amare, colere et suspicere olim consueuerunt, vtque ipse, recolendo mecum rerum a SCHOEPFLINO meo praeclare gestarum memoriam, illa simul ex parte tempora recolam, quibus, cum innumeris aliis, et ego sub tanto duce studiorumque et boni omnis promotore laetus adoleui.

Stilo simplici et plano expediam omnia, non ampullis nec longe quaesitis verborum lenociniis Illum elaturus, qui sua se virtute extulit ipse quemque et quae per ipsum euenerint nominasse, laudasse est. BRVCKERVM, Virum clarissimum, in Pinacotheca Virorum illustrium ipsumque adeo eius narrandi modum, quantum per legem, quam SCHOEPFLINVS et ipse mihi scripsimus, licuerit, per summa rerum mo-

momenta ſequar et cum ſequar, nominabo, ad annum vsque ſeculi quadrageſimum ſextum, quo ille deſiit, additurus reliqua, quae per proximos hos viginti annos digna nominis ſui fama patrauit plurima, indefeſſus in illa ſcribendo, docendo, conſulendo promouenda SCHOEPFLINVS.

Natus eſt Vir Illuſtris VIII. Iduum Septembris anni ſuperioris ſeculi vltra nonageſimum quarti. (Quintum male ponit BRVCKERVS) Fuit hic annus ferax aliorum magnorum nominum, IOECHERI, PELLOVTIERII, PERTSCHII, RICHTERI, SCHELHORNII et, quem primum excitare debuiſſem, τὸ πάνυ MOSHEMII. Vidit Illum naſcentem primum Sulzburgum, quod oppidum eſt Marchionatus Bada Durlacenſis ſuperioris; hinc natus cum Illo in DOMVM hanc SERENISSIMAM amor et affectus, quem, tum aliis documentis, tum prae-

cipue ſcripta nuper Zaringo-Badenſi hiſtoria teſtatus eſt et itinere quotannis ad Aulam PRINCIPIS SERENISSIMI repetendo teſtatur adhucdum, mutuo amore et affectu nunquam non admiſſus atque dimiſſus.

Patrem habuit Virum ſpectatiſſimum atque integerrimum IOANNEM DANIELEM SCHOEPFLINVM, tum, cum naſceretur ei filius, ad ſumma olim evehendus, in miniſterio Principis Bada Durlacenſis verſantem, poſtero vero tempore Richouillam, in ſuperiori Alſatia, translatum, vt huic dynaſtiae et Horburgenſi comitatui a rationibus eccleſiaſticis eſſet ibique ſuum tandem diem obiret. Matri ANNAE MARGARETHAE BARDOLLIAE id felicitatis obtigit, vt cum filius in Argentoratenſi ſtudiorum Vniuerſitate Eloquentiae et Hiſtoriarum Profeſſoris munus A. MDCCXXI. adiret, adhuc ſupereſſet nec fruſtraneam

ſuam

ſuam in educando filio operam fuiſſe ſpemque eum parentum non fefelliſſe, praeclaris rerum ab eo iam geſtarum et in poſterum gerendarum documentis cognoſceret. Scilicet ea praecipua parentum cura fuit, cum in puero iam praeclaram illam vim mentis animaduerterent, per quam tot et tanta prodigia poſtea praeſtitit, vt eum mature Gymnaſio, quod tum Durlaci florebat, nunc cum ſede PRINCIPIS huc Carolsruham translatum eſt, formandum fidis praeceptoribus traderent, quod Ille tempus, quoties Durlacum reuiſit, non ſine voluptate et grata in tutelares loci deos mente reminiſcitur, templumque Muſarum aliud inuiſit, intelligo auguſtum illud Monumentorum antiquorum per terras Badenſes repertorum et ſacello quodque ſuo, quo ab aëris iniuria ſartum tectumque eſt, incluſorum ſacrarium, Ipſo ſuaſore, in horto PRINCIPIS amoeniſſimo erectum.

Emen-

Emenſus quinquennio ſtadium, quod Illi percurrendum praetendebat Durlacenſe Gymnaſium, Baſileam et in Baſileenſe Gymnaſium translatus eſt; biennio poſt, anno ſcilicet ſeculi, quod viuimus, ſeptimo, nondum tredecim annorum ephebus, in publicam Academiae lucem producendus. Exceperunt nouitium Academiae ciuem, non ſine praeſaga futurorum, Eius profectuum mente, Viri in ſua quisque arte omnium iudicio ſummi, cognatus IOANNES CHRISTOPHORVS ISELIVS, qui Hiſtoriam et Antiquitatem omnem reliquasque, quae ab humanitate nomen nactae ſunt, diſciplinas ei tradidit, SAMVEL BATTIERIVS, graece doctiſſimus, qui graecorum literas et literaturam Eum docuit et IOANNES BERNOVLLIVS, qui philoſophia omni phyſicesque ac matheſeos cognine probe Eum imbuit.

Triennium ſub his tantis ducibus et doctoribus cum exegiſſet alacer, ſi quis

quis unquam, et acerrimus in illorum praeceptis ſeruandis Iuuenis, publicamque Baſilienſium priuatamque ISELII ſui Bibliothecas inſtructiſſimas legendo, excerpendo, meditando perluſtraſſet, ſpirans Ipſe aliquando Bibliotheca futurus, tandem abiturus aliasque Muſarum ſedes inuiſurus, Anno MDCCXI. praeſide ISELIO criticam ex antiquitate romana diſſertationem, qua *Tergeſtinus lapis*, hactenus a nemine intellectus, *declarabatur*, additis, quas proprio marte elaborauerat, *quatuordecim ex hiſtoria* veterum regnorum vexatis et controuerſis *quaeſtionibus*, maſcule et ita defendit, ut publice tueretur, quam ſingulis priuatim dudum concitauerat, de ſe expectationem egregiumque diſciplinae ſuae alumnum ſummis laudibus ornatum Argentoratum Baſilea dimitteret.

Argentoratum dum nomino, dubius haereo, uter alteri plurimum debeat,

beat, num SCHOEPFLINVS Argentorato, quod Illum exterum amice exceperit, in ſinu et ad exteros alios abeuntem fouerit fortunarumque ſuarum ſedem apud ſe figere iuſſerit, num Argentoratum SCHOEPFLINO, quod Ille ſua Polymathia antiquam Vrbis et Academiae gloriam ſuſtentarit illique STVRMIOS olim ſuos, SLEIDANOS, BOECLEROS, SCHILTEROS, OBRECHTOS rediuiuos reddiderit effeceritque, vt mortuum eſſe, qui tum viuebat adhuc, KVHNIVM, cum moreretur non ſenſerit. Dubium me gratus in Vrbem et Academiam SCHOEPFLINVS, grata in SCHOEPFLINVM Vrbs et Academia, certantes inuicem de gratitudine alumnus et nutritia iucundum ſpectaculum delectat, Vobis, Auditores, ſuo loco ſiſtendum.

Ingreſſus Vrbem, quam alteram Sibi patriam fore tum quidem non praeuidebat, ſitus amoenitate, incolarum vrba-

Digitized by Google

vrbanitate, omnium rerum, quae faciunt ad bene beateque viuendum abundantia ita captus eſt, vt optaret, ſubito in illam amore & affectu correptus, hanc Sibi ſedem fortunarum a fatis concedi. Conceſſerunt fata, interprete illorum voluntatis et adjutore praecipuo magni tum nominis et famae Viro IOANNE CASPARE KVHNIO, a quo, cum primum illum, nominis fama allectus, adiiſſet, vt a parente filius exceptus, mox in domum et ad menſam adſcitus et per integrum octennium, quo ſtudiis vnici, quem habuerat KVHNIVS, filii praefuit, ita habitus eſt, vt raro filius a parente. KVHNIVS quippe Noſtro non de dapibus parandis ſolum et nutriendo corpore, ſed ab augendo maxime bonis artibus & ſcientiis ingenio pater fuit, inque interiora Hiſtoriae et Eloquentiae, quarum ipſe ſummus Sacerdos erat, adyta deduxit diſcipulum arcanae diſciplinae inprimis aptum, vnicasque ſuas poſt filium delicias.

Iunxerat ſibi matrimonio KVHNIVS ſororem BARTENSTEINII, Illuſtriſſimi poſtea Sacri Romani Imperii Comitis, cui Viro, quod iam tum innotuerit Noſter quodque per illum ad CAROLVM VI. Imperatorem Viennae ſuo tempore admiſſus eſt, KVHNIO vnice debet eiusque in ſe affectui, quo non demortuos modo Graecorum olim et Romanorum ſapientes, ſed viva etiam et ſpirantia magnarum animarum exempla imitanda, calcar Iuveni additurus, Ei proponere ſategit.

Factum eſt inde et eodem conſilio, vt praeter ea dona, quae ſecum quotidie et domi quaſi ſuae poſſidebat, KVHNII eruditionem et inſtitutionem, aliorum quoque Virorum celeberrimorum praelectionibus ſedulus et non interrumpendo unquam in bonas literas impetu auditor adeſſet, IOANNIS HENRICI BARTHII, vt hiſtoriae Eccleſiaſticae, IOANNIS GEORGII

GII SCHERZII, vt Philoſophiae moralis et IOANNIS HENRICI BOECLERI, vt Iuris publici intimiorem ſcientiam ſibi compararet.

Produxit primum KVHNIVS diſciplinae ſuae alumnum, quos Ille in Eloquentia profectus fecerit, ſpecimen aliquod editurum *Germanicum*que Caeſarem *oratione publica* laudaturum, menſe Nouembri A. MDCCXVII. qua vero cum laetitia produxerit, programma loquitur, hac occaſione a KVHNIO ſcriptum. „ Et praeuidit quidem „ *Germanicus* (ipſa KVHNII verba da- „ bo) ex conſcientia virtutum merito- „ rumque ſuorum, memoriam ſui ſa- „ cram honoratamque fore, cum mor- „ ti proximus in ultima ad amicos ora- „ tione diceret: flebunt Germanicum „ etiam ignoti; de hoc tamen tum „ certe cogitare non potuit, Iuuenem, „ vt tum illis videbamur, barbarum in „ conſeſſu doctiſſimorum cultiſſimo-

„ rumque ex media barbarie hominum,
„ latino ore ſtiloque eo, qui romanum
„ oratorem deceret, virtutes ipſius
„ memoriamque celebraturum eſſe.
„ Praeſtabit tamen in hoc ei officium-
„ SCHOEPFLINVS-fautor atque
„ amicus, mihi ex domeſtico aliquot
„ annorum conuictu et eruditionis et
„ humanitatis nomine aeſtimatiſſimus;
„ faciet autem illud non per lamenta
„ intempeſtiua ſerosque fletus, ſed vt
„ de funere GERMANICI TACITVS
„ loquitur, per laudes et memoriam virtu-
„ tum eius. Tanto autem magis commen-
„ dandus conatus oratoris noſtri vide-
„ tur, quo rariores ſunt, qui aliquod
„ his ſtudiis tempus impendere vires-
„ que ſuas in hac palaeſtra exercere
„ cupiunt, hoc praeſertim aeuo, cui
„ noua barbaries minatur et quo ne-
„ glectus elegantiorum literarum quaſi
„ laudi ducitur. (Nos quoque pungis
et noſtra tempora noſtrorumque ho-
munculorum peruerſos mores ſcite, li-
cet inſcius, pingis, o bone KVHNI!

„ No-

Digitized by Google

„ Noſter quidem orator aliquid am-
„ plius eſt praeſtiturus – id ipſum incita-
„ mentum erit aliis, vt paria audeant
„ atque ſuo quoque exemplo doceant,
„ quod, vt PLINIVS loquitur, vi-
„ geant ſtudia, proferant ſe ingenia
„ hominum et oſtentent, vtque ipſi
„ quoque pro viribus id agant, vt
„ gloria excultae eloquentiae Argen-
„ torato noſtro conſeruetur, quam ex
„ eo tempore, quo primum Acade-
„ miae nomine cenſeri meruit, con-
„ ſeruauit. “

Diſcedentem e cathedra Iuuenem Oratorem plauſus ab omni auditorum frequentia innumeri ſecuti ſunt alterumque KVHNIVM ſibi a fatis datum iam tum non vano omine augurati ſunt literatae Argentinenſis reipublicae proceres. Oratio variis ad illam ſpectantibus numis aucta, praeceptoris aliorumque elogiis ornata, iuſſu publico, typis mandata.

Rediit in cathedram biennio post menſe Novembri A. MDCCXIX. praeceptori optimo, Venerando BARTHIO, ſuae et academiae gloriae, fato nimis maturo, praerepto iuſta perſoluturus oratione, quam, quo in illos, quibus ſuos profectus debebat, fuerit affectu, teſtem locupletiſſimum, typis exſcriptam cum voluptate legant omnes, qui vel nunquam deſideratiſſimum nobis BARTHIVM deſideraverint,

Tertium cathedram oratoriam ante quam conſcenderet, ſpecimen ſuorum in ſtudio hiſtorico conatuum Anno MDCCXX. tale dedit, quale ab Illo expectabant omnes, qualeque exigere videbatur a ciue iam ſuo francico regno felici fato iuncta Argentinenſis ciuitas, de *Origine*, *fatis* et *ſucceſſione regni Navarrae* ad noſtra usque tempora diſſertationem, quam praeſide KVHNIO ſuo, qui tum ultimum de diſcipulo laetatus eſt, defendit. Elatus eſt paulo

poſt

poſt lacrymabili funere, ſuo merito immortalis, KVHNIVS et tertium invitum ac luctantem in cathedram deduxit SCHOEPFLINVM pietas, vltimum benefactori ſuo et triſtiſſimum officium praeſtiturum praeceptori, in eo uno felici, quod ab illo laudabatur, quem ipſe, ſi debuiſſet, laudum ſuarum praeconem conſtituiſſet. Fecit ineffabilis in defunctum omnis ordinis hominum amor et in oratorem mira animorum converſio, vt et hanc orationem iam tum publici iuris faceret incredibilique omnium deſiderio memoriam KVHNII, quoquo modo poſſent, recolendi ſatisfaceret.

Dandus erat KVHNIO ſucceſſor quamque is cathedram reliquerat, implenda; datur ei decimo Cal. Decembris A. MDCCXX, unanimi Senatus vrbici et academici conſenſu SCHOEPFLINVS, nec dari profecto dignior potuit. Nouum munus Profeſſoris Hiſtoria-

ſtoriarum et Eloquentiae vt rite auſpicaretur, captis prius, ex more Academiae, ſummis in philoſophia honoribus, *de fatis Eloquentiae* publica oratione dixit ad Calendas Apriles A. MDCCXXI. et ita dixit, vt de illius apud ſe fatis ſecura potuerit, eſſe, dum viueret SCHOEPFLINVS, Vniuerſitas Argentinenſis, quae hac exteri ad publicum Profeſſoris munus promotione, exteros omnes alioquin excludens, docuit, nullam ſibi legem tam ſanctam eſſe, quae non ſanctiori cedat illi, quae conſulere eam iubet, ne quid respublica literaria capiat detrimenti. Illuſtriſſimus BIGNONIVS, datis ad SCHOEPFLINVM literis, non ita multo poſt teſtatus eſt, quantam de nouo doctore ſpem conceperit Gallia vniuerſa, Regis ſui in ipſum gratiam ſuo tempore effuſiſſime deriuatura.

Non alienum videtur, Auditores, hoc loco docere, qualis Ille corporis habi-

Digitized by Google

habitu fit, quem ex parte ingenii iam noſſe coepimus, quemque tantus et mirus omnium conſenſus exterum ad publicam Eloquentiae cathedram vocaverat; corporis enim, quam vocant, Eloquentia quantum ſaepe valeat ad animos hominum mouendos, norunt, qui nihil norunt. Vidi ipſe ego, non incurioſus olim, quae alibi gerebantur, ſpectator, vidi, inquam, non raro contortum multorum, qui ſe oratores dicerent, corporis habitum, morum ruſticitatem et inurbanum hominem vbique prodentem, audiui illos, quae rudi plerumque Minerua in chartam coniecerant, rudi et rauca voce proiicere nauſeamque creare ſapientioribus; et tum SCHOEPFLINVM meum mihi ſiſtere in ſplendidiſſima Auditorum, Regum et regno proximorum, Ducum, Principum, Comitum, ſummorum belli pacisque adminiſtrorum, omnis ordinis Sapientum corona, in auditorio ita exornato, vt auguſtius quid non vsquam videas, e cathedra ſurgentem primo-

que aſpectu nulli non ea promittentem, quae praeſtiturus exſurrexerat. Dedit Ei natura, in illo ad Eloquentiam formando, quid ipſa poſſit, experta, corpus vltra communem menſuram procerum et erectum, addidit, multo cultiſſimorum hominum vſu non parum adiuta, vultum ingenuum, ſuavitatem oris ſummam, cum decore et habitu corporis eo, qui nec Senem vnquam deſtituit, coniunctam, vt nihil ſupra dici poſſit, geſticulationem vero et vocis modulationem eam, vt rapere in conſenſum non poſſet non candor et ſerenitas Viri boni, dicendi periti. Prouoco ſecurus iudicii mei ad illos omnes, quibus vnquam Os illud Eloquentiae intueri auribusque aurea dicta excipere licuit, non ex ſchedis praelecta, ſed ex memoria ſemper et tum quoque recitata, cum deſtituiſſe dudum Senem hanc mentis facultatem credideris.

Talis

Talis cum fuerit mente et corpore Noſter, non mirabitur quisquam, vndique Argentoratum confluxiſſe, ad bonarum literarum mercaturam Iuuenum ſummi Ordinis et loci eum numerum, quem non niſi Árgentorati et in SCHOEPFLINI ſchola coniunctum conſpicias; ſiue enim priuatim praelegeret imperiorum fata et cataſtrophas, ſiue bene dicendi praecepta traderet et exemplum, tantus ad Eum doctorem, quantus ad Oratorem concurſus extitit, vidiſſesque, et videres adhuc, plura carpenta domum Eius obſidentia, quam ex vmbratilium illorum doctorum, qui dum ſe, mundum et ſcientias ignorant maleque decocta praecepta propinant, ſibi tamen ſoli et aliis melius ſapere videntur, triuialibus ſcholis deceptos per tenebriones iuuenes exire.

Reportarunt mox domum Suecus, Danus, Ruſſus, Anglus, Batauus et Hel-

Digitized by Google

Heluetus Germanaque Nobilium pubes tantum non omnis, ad morum humanitatem efficti, scientiarum thesauros, quos dum exponunt, cogitant passim de tanto doctore ad se alliciendo exteri. Oblata hinc Illi iam A. MDCCXXIII. Antiquitatum humaniorumque literarum Professio in Francofurtana ad Viadrum Academia vacans, quam gratus in offerentes declinandam modeste censuit. Biennio post A. MDCCXXV. ab illa, quae nouum, post Petri I. non vanos conatus, populum condere decreverat, Russorum Imperatrice CATHARINA ad Petropolitanam Academiam lautissimis conditionibus inuitatus est Historiarum Professor et Historiographus Aulae, dumque eo vndique confluebat eruditissimorum ex omni orbe hominum turba, iam in eo erat Noster, vt sarcinas colligeret, cum Senatus et Academia Argentinenses de tanto suo ornamento seruando non parum solliciti, annuum illi stipendium augerent iterque Gallicum, Italicum et Britannicum suo

sumtu

ſumtu per biennium ſuſtinendum proponerent, hacque largiſſima in Eum voluntate ſua teſtata, quam carus et deſideratus illis eſſet, Eum retinerent, beneficio inaudito Eum ſibi in perpetuum obſtringentes.

Dederat per hos et inſequentem annos eruditionis per vaſtiſſimos Hiſtoriarum et Antiquitatum campos exſpatiantis non vnum ſpecimem: *Miſcellanea Hiſtorica; Selecta Hiſtorica; Obſervationes Hiſtorico-Criticas; Varia Critica; Dubia Hiſtorica; Origines Romanas; ex Clodouaei Magni Hiſtoria Controuerſias; Illuſtres ex Hiſpanica Hiſtoria Controuerſias; de Alemannicis Antiquitatibus; de Romanis Antiquitatibus; de extincto et reſtaurato Occidentali Imperio* commentationes; ſcripta bonae frugis pleniſſima, vna cum aliis, de quibus mox dicam, in vnum poſtea volumen collecta.

Nouus

Nouus SCHOEPFLINIANAE gloriae cumulus acceſſit eodem A. MDCCXXV. cum AVGVSTISSIMVS GALLORVM REX IVVENIS STANISLAI, Poloniarum Regis FILIAM ſibi matrimonio iungeret. Dixerat iam annis MDCCXXII. XXIII. XXIV. et XXV. ex Senatus decreto annuum adoleſcenti in ſpem Europae REGI OPTIMO Panegyricum SCHOEPFLINVS, ſalutauerat iam Academiae ſuoque nomine vel latino vel gallico idiomate STANISLAVM cum REGINA CONIVGE regiaque MATRE et futura GALLIAE REGINA (BRVCKERI hic verba aliqua recito) et paulo poſt AVRELIANENSEM DVCEM regiosque ad feſtiuitatem hanc celebrandam LEGATOS Argentoratum aduentantes, ipſoque feſtiuitatis die pro felici connubio pia vota ſoluerat, diſcedentibusque mox ex parte ſummis hoſpitibus felix iter precatus erat; cum Senatus Populusque et Academia Argentoratenſis ſolemnia Illum vota pro REGIS et REGINAE ſalute ſoluere panegyrica Oratione extra ordinem iuberet. Inter-

terfuit illi acerrimus et ſummus ingeniorum iudex STANISLAVS, et tanta cum voluptate interfuit, vt diſcedentem e cathedra REX, vt ſolebat eſſe humaniſſimus, Oratorem alterum et ſuum Ciceronem et tum et ſemper poſtea, quoties ad Illum aditum Luneuillae petebat, vocaret miſſoque domum aureo, quod a repetendo vocant, horologio munificus donaret.

Rebus ita, coram vniuerſa fere Gallia exterisque paene innumeris, praeclare geſtis, Itineri literario tandem ſe accinxit A. MDCCXXVI. menſe Aprili, fama nominis quaquauerſum iam vulgata Illumque vbique locorum praeuertente. Coepit per Gallicum Iter perque Luneuillam, Nanceium, Metas, Rhemos Lutetiam Pariſiorum, cultiſſimam gentem propius et domi quaſi ſuae noſciturus, tetendit. Transegit in hac bonarum omnium artium metropoli vltra quinque menſes omnibusque illis Viris, qui ſua vel ſcientia vel

vel morum ſuauitate orbem illuſtrarunt et vrbem parem orbi tum commendarunt, innotuit. Longum eſſet enumerare omnes, quibus Eum non obliviſcendum vnquam, quum ſemel viſus eſt, literae et humanitas amicum et ſocium iunxerant; nomino è magno numero praecipuos, BIGNONIVM, LONGERVAEVM, BANDVRIVM, MONTEFALCONIVM, MARTENNIVM, RVAEVM, LANCELOTVM, BOIVINIVM, FRAGVIERIVM, HARDVINVM, TOVRNEMINIVM, PORAEVM, LEQVIENIVM, BOZAEVM, SALLIERIVM, VALESIVM, CAPERONERIVM, FALCONETVM, FOVRMONTIVM, COVRRAYERVM. Bibliothecam regiam aliasque, quas non facile alibi maiore numero et ſelectiorés reperias, regiumque Numismatophylacium, gallici regni magnificentiam, ſi nullum alium haberemus teſtem, (non audita, ſed his oculis meis viſa refero) ad ſtuporem loquens, non quidem vt oculos paſceret, inuiſit, ſed vt tum ſuam eruditionem depromeret probaretque tum

novos

novos per omnem ſcientiarum ac diſciplinarum Encyclopaediam theſauros oblata hac tanta occaſione colligeret.

Lutetia Lugdunum petiit, (do fere iterum BRVCKERI verba et dabo adhuc cum potero) et per Sabaudos ad Italos tranſiit. Taurino, reducem ex Angliae Galliaeque Aulis, in quibus ſedecim annis eruditus hoſpes haeſerat, Illuſtriſſimum Abbatem CONTIVM, Mediolanum comitatus eſt. Solus dein Veronam adiit, celebratum vrbis amphitheatrum celebrioremque illo Ciuem Scipionem MAFFEIVM Marchionem viſurus, cum quo plures dies transegit. Patauii dein cum LAZARINIO, FACCIOLATO, VALISNERIO quotidie verſatus eſt, Venetiis cum MICHELOTTO et RECANATO Abbate. Inde poſt quindecimum diem per Ferrariam, Rauennam, Ariminum, Piſaurum, Fanum, Senigalliam, Anconam, Lauretum, Maceratam, Fulginium, Spoletum, Interamnas, Narniam, Vtriculum,

lum, Veios Romam progreſſus eſt. Receptus ibi in domum ab Illuſtriſſimis HARRACHIIS Comitibus, quorum alter Auditor Rotae et CAROLI VI. Imperatoris apud ſedem Romanam Legatus, purpurae proximus obiit, alter Vindobonae in ſupremo Imperii Conſilio Aulico Praeſidem optime meritum adhuc agit, per ſemeſtre ſpatium, quod in hac vrbe exegit, Hiſtoriam Eis atque Antiquitates praelegit. Patuerunt Ei mox Purpuratorum eccleſiae Romanae, IMPERIALIS, POLIGNACI, ALBANORVM, GVALTERII palatia; FONTANINI, GALIANI (epiſcopi dein Tarentini) VALESII et GEORGII Abbatum et STOSCHII amicitiae.

Romae incredibilis in Antiquitates romanas, toties ab eo et antea et poſtea illuſtratas, amor ita Eum cepit, vt ab illis avelli vix tandem potuerit. Neapolin, viſis in via Puteolis et Baiis divertit, Romamque rediens diſperſa ad

Vrbem

Vrbem veteris Latii monumenta curiosius luſtrauit. Finiente Maio menſe Anni MDCCXXVII. per Viterbum, Sienam, Ligurnum, Luccam Florentiam ſeceſſit cumque BVONAROTO et SALVINIO frequenter egit, GORIOque primum viſus eſt, a quo tempore colere et amare alter alterum non deſiit. Bononiam, Mutinam, Parmam, Genuam hinc tranſiens MARSILIVM Comitem, aeternum Italiae decus MVRATORIVM et Lucam PALLAVICINVM non ſemel adiit; Parmae ad SERENISSIMVM DVCEM a MVRATORIO introductus, pileatus cum pileato, volente ita Principe, diu colloquutus, Theſauro Farneſiano a PEDRVSIO et PIOVENIO deſcripto, non primo nec ultimo Magnatum et Principum in ſe fauoris teſtimonio donatus eſt.

Genua per Mediterraneum mare a Tunetanis praedonibus, ob ruptam cum Gallis pacem tum infeſtatum, in Galliam rediit ſaluus, per Maſſiliam, Aquas

Sextias et Nemauſium petens Monspelium; facto inde ad Pontem Vardi, Auenionem, Carpentoractum et Arauſionem excurſu, per Salonem et Arelatem, Toloſam, Narbonam Burdigalem attigit, recto dein itinere per Pictauos, Amboſiam, Bleſas, Aurelianos Lutetiam rediit, ab Amicis et Academiae Inſcriptionum Sodalibus, quibus ſuas de veteri factas in noua Roma obſeruationes ſubinde transmiſerat, auide exceptus et per trimeſtre ſpatium humaniſſime habitus.

Sub ipſis Inaugurationis GEORGII II. felicibus auſpiciis, volentibus ita patronis, in Angliam tranſiit, menſe Octobri Anni MDCCXXVII. Londini DEVONSHIRIO Duci, PEMBROCKIO Comiti et Cantuarienſium tum Archiepiſcopo Guilielmo WACKIO, SLOANO item, MAITTAIRIO, COSTIO, DESMAIZAEO, MASSONO, DES-

DESAGVLIERIO, Richardo BENTLEIO, aliis familiarius innotuit.

Diſſitis his in oris remotosque apud toto orbe Britannos dum verſatur SCHOEPFLINVS, meritorum Eius non oblita Argentoratus, Canonicum Thomanum Eum abſentem recipit, ſponteque currenti nouum ſtimulum addit.

Sub Anni ſequentis initium Oxonium inuiſit, Londinoque eo ipſo die abiit Lutetiam, quo COVRRAYERVS Lutetia elapſus Londinum appulit. Rediit Lutetiam per Belgium Auſtriacum eique Maio menſe tertium valedixit, ad penates carentemque iam nimis diu tantis opibus locupletato doctore ſuo Academiam, deſiderium ſui larga meſſis effuſione compenſaturus, properat; a regia Londinenſi ſocietate in Sociorum numerum adſcitus anno eodem, adſciſcendus biennio poſt a regia quoque Inſcriptionum Academia Pariſienſi.

Agitur ita triennium, intra quod de *Apotheoſi* ſeu *conſecratione Imperatorum romanorum*, de *Romanorum auſpiciis*, de *Burgundia cis- et trans-Iurana*, de *ſacris Galliae Regum in Orientem expeditionibus* ſat magnis voluminibus pulchre docteque diſputauit et *Illuſtres ex Britannica hiſtoria controuerſias* publice ſummo cum applauſu ventilauit, quae quoque ſcripta volumen, de quo ſupra dixi, exhibet.

Elapſo hoc triennio, aliis ſuis deſideriis ſatisfacturus, Batauum Iter ingreditur ineunte vere Anni MDCCXXXI. Viſis in via Francofurto, Colonia, Noiomago, Traiectum tetendit, vbi DRACKENBVRGIVM, DVCKERVM, OTTONEM; Lugdunum, vbi BVRMANNVM, VITRIARIVM, BOERHAVIVM, SCHVLTINGIVM, HAVERCAMPVM, SCHNAKENBVRGIVM, Abrahamum GRONOVIVM; Hagar

gam Comitum, vbi BYNKERSHOECKIVM conuenit et FAGELIVM. Ex Batauis ad amicos Parisienses quartum rediit et in Academia regia Inscriptionum *super Monumentum Legionis VIII. Augustae, Argentorati repertum, dissertationem* praelegit, quae Commentariis Academiae suo loco inserta est. Alias tres aliis temporibus, suo quasque loco insertas, eidem Academiae transmisit, vnam *de Gentis Treboccorum Origine et situ*, occasione columnae in veteri Brocomago A. MDCCXXXV. repertae; aliam *super fragmentum Livii ex Salernitani Coenobii Codice MS.* olim descriptum a Matthaeo ROCKIO; tertiam denique de *Typographia* ante Annum MCCCCXL. a *Gutenbergio* reperta, qua de re dicam mox plura.

Redux in Patriam, multis iam titulis suam, scripsit per annos insequentes *Illustres ex Francica historia controver-*

ſias; Chronologiam romanorum Syriae praefectorum, Pontificum Iudaeorum atque Iudaeae Proconſulum; Obſeruationes ad Librum Diurnum; alia, cum illis, quae ſupra nominaui, in vnum poſtea Volumen collecta, quod Baſileae prodiit A. MDCCXLI. Sub idem fere tempus, Anno nimirum MDCCXXXIV. iuſſu regio *Arma Regis pro Rege Poloniae, STANISLAO* tuitus eſt contra domum Auſtriacam ſcripto, gallico ſermone exarato regiisque ſumtibus impreſſo. Ceterum ſua ſtudia Iuuentutis commodis et Academiae dicat, quo plauſu quoue fructu; non dicam iterum, cum dixerim ſupra; ſui enim ſemper ſimilis cum fuerit ſitque etiam nunc SCHOEPFLINVS, docere, quae doceri merentur, nunquam non paratus, auide, quod qualis Is eſſet docendo, omnes norant, quaeſitus et auditus eſt ab omnibus.

Quae-

Quaesitus quoque est iterum ab exteris; Anno enim MDCCXXXVII. Academia Cortonensis socium Eum voluit esse suum, eodemque anno oblata est Illi regia, quae Upsaliae apud Suecos floret, Skyttiana Historiarum et Politices Professio, quam SCHEFFERVS atque BOECLERVS, Argentinenses seculo superiore occupauerant. Sed alia agebat mente Noster.

Anno enim Seculi tricesimo octavo ineunte de instituendo demum per Germaniam Itinere coepit cogitare, cogitata mox exsequitur et delatus primum ad STANISLAI Regis aulam, per Nanceium, Metas, Luxenburgum, Namurcum Bruxellas perrexit et apud HARRACHIVM Comitem, Gubernatricis tum Purpuratum sextiduum exegit. Inde Mechlinio, Louanio, Leodio, Aquisgrano, Colonia, Bonna, Confluentibus visis, apud Nassauium Weilburgi Principem biduum, apud Wezla-

rienſes octiduum verſatus eſt. Gieſſa dein, Marburgo et Caſſellis ſalutatis Gotham ſeceſſit, indeque per Erfurtum et Schwarzburgenſem, quae Rudolſtadii eſt, Aulam, ad Ienenſem, Halenſem et Lipſienſem Academias, quas et mihi, cum aliis inter Germanos Muſarum ſedibus, meminiſſe dulce eſt, translatus eſt. Tum vero per Dresdenſem Aulam Bohemiam adiit; Pragae fragmentum Euangelii S. Marci, quod in cathedrali eccleſia aſſeruatur, examinauit et paginae primae ſcriptura accurate depicta deprehendit, folia haec partem poſteriorem eſſe decantati illius Fragmenti, quod in theſauro Veneto aſſeruatur. Tandem per Auſtriam Viennam, IMPERATORIS ſedem et Germaniae metropolin, circa Calendas quintiles attigit. Vſus hic eſt veteri Illuſtriſſimi BARTENSTEINII amicitia, quae ad ipſum CAROLVM VI. Imperatorem aditum Illi parauit, excelſoque Illum, ſi quis vnquam loco, Imperatorem

rem inter et imperatoriam Domum ac Familiam collocauit. Quaefiuit ex Illo multa CAROLVS de Habsburgicae domus ex Alfatia ortu, de Lotharingiae Ducum et Habsburgenfium Alfatiae Landgrauiorum ftirpe communi, de veteri Alemanniae et Alfatarum ducatu, lateque et erudite de his aliisque rebus differentem clementer audiuit. Teftem habemus, eius colloquii memoriam ne vnquam obliuifceretur, Sacratiffimi IMPERATORIS imaginem, adamante pretiofe ornatam et ad differtatorem tam eruditum tamque facundum imperatorio nomine per BARTENSTEINIVM miffam. Secuti funt auguftiffimi Imperatoris exemplum IMPERATRIX auguftiffima, magnus tum Hetruriae Dux FRANCISCVS, ipfe aliquando Imperatoris Germanorum titulo felici omine ornandus, Proceresque Aulae tantum non omnes, frequentibusque cum Noftro colloquiis, quanti et ipfi eruditionem Viri fummi facerent, teftati funt effeceruntque fua finguli humanitate,

Digitized by Google

tate, vt Vindobonenſis ſeceſſus vsque meminerit nec poſſit non meminiſſe.

Piſonio deinceps, Hungariae regia, viſo, aduerſo Danubio per Mellicenſem Abbatiam, Paſſauium et Salisburgum deductus, Monachiumque inde translatus, a Sereniſſimo tum Electore, mox Caeſare CAROLO VII. benigniſſime exceptus eſt. Monachio Auguſtam Vindelicorum et Ratisbonam progreſſus eſt; Reuerendiſſimumque Bambergenſium et Herbipolenſium Epiſcopum, quod vehementer optauerat, ſalutaturus, Norimbergam diuertit, Herbipoli dein, ſecundo Moeno, Hanouiam, Francofurtum et ad vicinas Darmſtadienſem, Moguntinam Palatinamque aulas perrexit, humaniſſime vbique exceptus et habitus. Tandem Argentoratum multis et multifariis Principum, Procerum, Ciuitatum, et Literatorum hominum muneribus onuſtus rediit menſe Nouembri.

Con-

Digitized by Google

Confluxerat iterum Argentoratum Iuuenum nobiliorum numerus ex omni Orbe ſelectiſſimus, volebantque in primis Auſtriaci et Bohemici Proceres ex SCHOEPFLINI ore pendere filios ſuos, maximis olim rebus gerendis admouendos, nec niſi, oborto ad Rhenum fatali rebus Germanorum bello, domum eos auocarunt inuiti.

Secularia inuentae Typographicae artis ſacra Anno MDCCXL. cum celebraret, congratulante Europa, inuentrix Germania, Argentinenſium cauſſam ne deſerere velle, malo omine, videretur SCHOEPFLINVS, egit eam per Ephebum, diſciplinae ſuae tum alumnum, eumque dum in cathedram oratoriam celebrando tam digno, quod celebraretur, iuuento producendum annunciat, ſcripto programmate ita tuitus eſt Ipſe, vt ex omni ſcriptorum omnis generis farragine, quam iſta ſolennitas vbique locorum in dias lucis auras protru-

truſerat, SCHOEPFLINIANVM ſcriptum, vnius plagulae cancellis circumſcriptum, orationis nitore et elegantia, argumentorum vero ſoliditate et euidentia ea procederet, vt palmam facile praeriperet pugnantibus andabatis, ad intimiores et primos huius inuenti receſſus nunquam admiſſis, nubemque pro Iunone amplectentibus conclamatumque fuerit iam tum de artis vtiliſſimae tum inuentore, tum inuentionis loco et tempore. Reſumſit tamen idem argumentum Noſter vicennio poſt A. MDCCLX. ſcriptisque *Typographicis Vindiciis*, nouis et nuper demum plenius detectis rerum documentis authenticis, docuit eruditum orbem, indubiam eſſe, quam olim iam propoſuerat, ſententiam: ad GVTENBERGIVM Moguntinum et Argentoratenſes prima artis Typographicae initia pertinere; quam omnes, qui quibus illa fundamentis et probationibus ſuperſtructa ſit, inſpicere propius et ad lydium rationis non praeiudicatae lapidem exigere potuerunt, auide

avide arreptam defendunt et vsque defendent, ſi vnum FOVRNIERIVM, qui tamen, quicquid dicat, aſſertum Noſtri non infirmat, ſed confirmat potius, et MEERMANNVM excipias, amiciſſimum hunc quidem SCHOEPFLINO, ſed COSTERVM hic ſuum Harlemenſem, obtorto collo, nobis obtrudere volentem fingentemque pro lubitu, quae ſuae theſi inſeruire poſſe iudicauerat. Reſpondit neutri SCHOEPFLINVS, cui ad controuerſias tempus nullum ſuppetit, veritati indagandae et proponendae cum indagauerit, omne ſacrum, meminique mihi Eum ſaepe dicere: ſit penes poſteritatem iudicium, quod ſecurus, dum ſuo quaeque loco reponat, exſpecto. Redeamus in viam.

Sequenti Anno MDCCXLI. Petropolitanae Academiae, Membrum ſuum honorarium Eum declarantis, accepit diploma, additis imperatorio iuſſu Petro-

tropolitanae Academiae actis, tantae Principis in tantum Virum voluntatis ampliſſimae teſtem.

Quod a quadrageſimo ad quartum Seculi annum tempus effluxit, illud omne formandis Iuuenum ad ſcientias et probos mores animis impendit, tempus feliciſſimum et vel eam ob cauſſam a me hic recolendum, quod per illud omne et mihi pendere ab illo ore eloquentiae licuit, diuina praecepta auidis auribus excipere, illoque ſuaſore et promotore ſtudiorum praecipuo vti, quod immortale, vel in tantillum, beneficium ingratiſſimus mortalium forem, ſi hic tacitus praeterirem.

Sub vernum Anni MDCCXLIV. tempus Helueticum Iter ingreſſus eſt Noſter, aeſtatem inſequentem omnem apud Heluetos, mortalium, ſua ſi bona norint, feliciſſimos exacturus, Habsburgicas

gicasque, Vindoniſſenſes, Badenſes, Ergouiae et Tigurinas antiquitates et memorabilia ſcrutaturus, ſcribendis olim Alſaticarum et Badenſium rerum Annalibus inſeruituras. Coepit iter per Baſileam, quam Vrbem quo ſenſu iterum viderit, iudicabunt, qui ibi prima eruditionis ampliſſimae fundamenta Eum ieciſſe meminerint; indeque per Sisgouiam, ſuperato ad Arouiam Iuraſſo, Tigurum appulit, vrbem veri bonique ſenſu abundantiſſimam, Heluetorum Athenas dicerem, niſi quae et me hoſpitem olim per triennium fouit, a me laudari nolle, ſed amari intelligerem. A Turicenſibus per Rapertiuillam ad Eremum Deiparae, Suitiosque et per Lacum Lucerinum vel Syluanium ad Vrios et S. Gotthardi montis radices vsque progreſſus, eundem per lacum nauigans Lucernam appulit indeque Bernam et per veteris Auentici rudera, Burgundiamque adeo Transiuranam, de qua olim tam docte tamque eleganter

ſcripſerat, ad Lauſannam et Geneuam vrbes perrexit ac denique per Neocomenſem principatum et Moratenſem Lacum ad Solodurenſes et Iura monte prope Waldenburgii clauſtra ſuperato, Baſilea Argentoratum profectus eſt, vt Ludouico XV. Metis ex grauiſſimo morbo in Alſatiam properanti, cinctus Academico Senatu, recuperatam valetudinem et in fidam Regi ſuo Argentinam aduentum gratularetur.

Meruerat, ob ſeruatam aduentu ſuo Alſatiam, ciuicam coronam LVDOVICVS, obſidionalem vt promereret, Argentorato Friburgum properat, noua mox in Belgio tropaea quaeſiturus; illuſtre dicendi argumentum SCHOEPFLINVS, iam vicies et iterum Argentinenſis reipublicae conſtitutus Orator, A. MDCCXLV. tractauit ita, vt quae fuerint Argentinenſium tripudia, qui in Regis honorem inſtituti triumphales ludi, quis ciuium omnium, ordinum omni-

Digitized by Google

omnium, omnis ſexus, aetatis omnis in LVDOVICVM Amatum affectus, plenius, ornatius, conſummatius dici non potuerit.

Deſiit tum ex cathedra oratoria ad nos loqui SCHOEPFLINVS et ita, quod mihi quidem videtur, deſiit, vt ſolemnius deſinere non potuerit; poſtquam ſcilicet licuerat Illi eſſe tam beato, vt praeſens Argentorati Galliae Numen veneraretur, diſcedentisque deſiderium oratione exprimeret. Succeſſorem in hac cathedra habuit, quem Ipſe formauerat quemque, ſi SCHOEPFLINO ſuperuiueret, alterum SCHOEPFLINVM haberemus; aſt ſeruarunt boni Superi primum, alterum ad ſe traxerunt, deſideratiſſimum bonis omnibus RANGIVM, quo fatis defuncto, lauris ſat multis tempora cinctus SCHOEPFLINVS, alii diſcipulorum LORENZIO colligendas nouas reliquit, non niſi poſt viceſimum annum, vt ſuo loco docebo, cathedram

oratoriam repetiturus et ita, vt ſolemnius repetere non potuerit.

Sibi ſuisque rebus tum redditus poſt longos labores Noſter, omne ſuum otium ordinandae et ornandae Bibliothecae dedit, cui parem in Hiſtorico ſtudiorum genere apud priuatum nullibi nec ego vidi, qui multas vidi, nec facile viderit quisquam, eamque cum Manuſcriptis, Inſcriptionibus, Signis, Sigillis, Vaſis, Inſtrumentis veterum ſacris et domeſticis, Numis, omnique illa, quam in itineribus ſedulus, curioſus et felix ſcrutator collegerat, ſupellectile rite diſpoſitis exterorum et indigenarum vſui vt patere poſſet effecit obtinuitque, vt quae ſparſa per Alſatiam et in finibus repererat Inſcriptionum, Statuarumque et Marmorum monumenta in aedium ſuarum veſtibulo congeſta vetus aliquod Latium intranti offerrent.

Offer-

Digitized by Google

Offertur haec agenti, menſe Februario Anni MDCCXLVI. in Batava Lugdunenſi Academia vacans VITRIARII morte cathedra; ſed nulla Eum olim, nulla nec nunc promiſſa, ſollicitationes nullae inducere potuerunt, Argentorato et Gallicis Muſis vt valediceret. Longo enim didicerat vſu, nullam Europae Vrbem literis et literarum commercio tractandis Argentorato eſſe potiorem, in qua, vt in veteri Maſſilia, graeca comitas et prouincialis parſimonia habitant. Valeant igitur, cum tanto ſe iudice tueatur literata Argentinenſis ciuitas, valeant, inquam, humiles illorum artes, qui ipſi in ſcientiarum omnium limine adhuc conſtituti graculique ex obſcuriore aliquo loco egreſſi, ſuam gloriolam contemtui aliorum ſuperſtruere, obſoleto remedio, ſatagunt dumque duo vel tria doctorum Virorum nomina et dictata, calamo excepta, crepant, ſe omnis ſapientiae poſſeſſores nihilque aliis obtigiſſe infantes putant;

valeant hi et ſapere, ſi quidem poſſint, audeant, incipiant ipſi, antequam vano hoc conatu et irrito gloriam captare audaculi ſtudeant.

Iuſſit Noſtrum, non ita multo poſt, gratus et munificus, ſi quis vnquam, Galliarum REX LVDOVICVS XV. vt omnes alibi oblatos honores non vane recuſaſſe cognoſceret, ſibi, Regum Optimo, eſſe a Conſiliis et conſcribenda Hiſtoria, diplomate hac ſuper re, ſigillo regni maiore munito, ad Eum miſſo; quos ille honorum titulos, ſecuturorum mox alius generis praemiorum praecurſores, aliis quibuscunque titulis longe ſemper antetulit et iure meritoque antetulit, cum rari ſint nec vlli vnquam ante Eum nec poſt Eum ex Argentoratenſium academicis doctoribus conceſſi.

Quintum mox Lutetienſe Iter novus gallici regni Hiſtoriographus ſuſcepit

pit A. MDCCXLVI. ab Illuſtriſſimo DAGVESSAVIO, magno tum Franciae Cancellario inuitatus, vt de conſcribenda *Alſatiae Hiſtoria* cum eo coram conferret; per literas enim ei iam ſignificauerat SCHOEPFLINVS, in ſuſcipiendo hoc opere non tam rerum in Alſatia geſtarum habendam eſſe rationem, quam geographici et politici eius ſtatus, qualis ante Romanos, ſub Romanis, ſub Francis, ſub Germanis extiterat, illisque ſubiungendum eſſe ſtatum praeſentem. Cancellarius probauit conſilium, ſub auſpiciis regiis coeptum eſt opus. Poſt quinquennium, Anno nimirum MDCCLI. Volumen eius prius Auctor, ſextum ad Pariſios reuerſus, obtulit REGI, annua bis mille Francicarum librarum penſione et Catalogo Bibliothecae regiae, regiis ſumtibus impreſſo, donatus a REGE. Additum eſt aliud regiae benignitatis documentum, quo REX per LAMOIGNONIVM, Cancellarium regni et per ARGENSONIVM Comitem, Admini-

ſtrum Status declarauit SCHOEPFLINO, Argentinenſis Academiae iura, quae tum per varias artes periclitabantur, illibata ſemper fore et ſalua. Quod quantum beneficium fuerit quantumque ob illud impetratum SCHOEPFLINO aeternum debeat tum ciuitas Argentinenſis omnis, tum maxime academica, non niſi ille ſenſerit, qui quis tum rerum Argentinenſium ſitus fuerit vel ipſe vel aliunde nouerit. Alter *Alſatiae Illuſtratae* tomus decennio poſt, Anno MDCCLXI. prodiit adeoque quindecim annorum ſpatio perfectum eſt opus, quod antequam perſcribere inciperet, magnam chartarum et diplomatum copiam ex Collegiorum, Monaſteriorum, Ciuitatum et Alſatiae Procerum tabulariis congeſtam in parato iam habuerat. Magnum opus et immortale, non illorum triobolaribus et futilibus plerumque laboribus comparandum, qui ſcriptis ſine fine modoque ſyſtematum compendiis trium dierum aeternitatem ſibi et prudentiorum ſannas mercantur, quosque

ex

ex puluere et vmbra heri excitatos, in puluerem et umbram cras reuerſuros, hic non moror; opus — ob quod ſolum, ſi nihil aliud memoria dignum literis conſignaſſet SCHOEPFLINVS, vaſtiſſimae eruditionis, conſummatiſſimae in dicendo, quae ſunt apta, peritiae gloriam ſtupendique laboris ferendi patientiam Ei non niſi ſtipes negauerit, laudauerit uero digne et pro meritis non niſi, par SCHOEPFLINIANAE, oris facundia, qua polluit eheu! olim GESNERVS ὁ κριτὴς, in recenſendo in Relationibus de libris nouis Goettingenſibus latinis SCHOEPFLINI opere, quales encomiaſtas mereantur Viri ad SCHOEPFLINIANAM eruditionem progreſſi docere voluiſſe viſus venturos poſt nos nepotes, et ne ingrati in manes magnorum Virorum peccent olim, monuiſſe leuiter interdum literis tinctos ephemeridum literariarum ſcriptores aut praeiudicatis opinionibus vel furore omnino quodam, incondite de

rebus, quas non intelligant ipſi, iudicandi nimium quantum abreptos.

Prodierunt ſub idem fere tempus, A. MDCCLII. *Vindiciae Celticae*, quo in libro Noſter Gentis, quae tot ingenia exercuit, origines, fata, linguam, reliqua rei difficillimae illuſtrandae inſeruientia ita dilucide expoſuit, vt ipſe PELLOVTIERIVS, quocum non omnino ſentiebat, de tanto tam erudito tamque modeſte diſputante aduerſario magnopere, cum ipſe ego Berolini eum conuenirem, gauiſus ſit; Illuſtriſſimum vero BYNAVIVM Comitem, qui a Bibliotheca ſua abſens, ſcriptiuncula aliqua quaedam contra Noſtrum monuerat veteresque ſcriptores per Celtas non Gallos ſed Germanos indigitaſſe contenderât, ipſi Goettingenſes a bibliotheca ſua melius inſtruendum ad illam ablegauerint.

Lite-

Literarios per aeſtatem et autumnum excurſus facit quotannis SCHOEPFLINVS ab eo tempore, quo Senatus Argentinenſis politicus et academicus conſenſerant vt Ipſe ſibi viuus ſucceſſorem deſtinaret. Acta ſunt haec Anno, qui poſtremum Iter Pariſinum inſecutus eſt, MDCCLII. Excurſus hos ſuſcipit in Marchiam Badenſem, in Palatinatum, in Heluetiam, Sueuiam et ad Abbatias Martianae Syluae, Blaſianam, Petrinam, Georgianam, quae Villingae eſt, et praecipue Baſileam, vbi ſtudiorum ſuorum tirocinia fecit. Electoralem Moguntinam, Epiſcopi Spirenſis, Landgrauii Darmſtadenſis, Principis Naſſouio-Vſingenſis aulas ſemel iterumque per id tempus reuiſit. Longum eſſet, ſingulos hos excurſus ſingulatim enumerare omnes; quos vero hinc inde ex illis fructus tum res publica et literaria, tum Ipſe ceperint, ſummatim exponam, multa praeteriturus nihilominus, quae Vitae minus illuſtri illuſtrandae poſſent inſeruire.

Veſtram

Veſtram patientiam, Auditores, Ordiamur a re, quae nos propius tangit. Anno MDCCLVI. Marchionem Bada-Durlacenſem inter et Baſilienſem rempublicam arbiter compoſuit lites, quae a pluribus annis diſcordiae cauſſa fuerant. Formula transactionis menſis vnius ſpatio ſignata; quod nunquam, vt Ipſe dicit, non euenire ſolet, vbi vtrimque bona fide proceditur. Noſter gratia et praemiis tanto Principe tantaque Republica dignis cumulatus ex hoc negotio diſceſſit.

Agere poſt triennium coepit cum PRINCIPE eodem, omnis boni promouendi cupidiſſimo, Maiorum et Domus Suae gloriae modis omnibus velificaturo de conſcribenda *Zaringo Badenſi hiſtoria*, cuius Tomum I. A. MDCCLXIII. poſtremum menſe Iunio Anni MDCCLXVI. SERENISSIMO PRINCIPI obtulit. Impulerant SCHOEPFLINVM ad opus hoc ſuſcipiendum amor in Principem, in cuius

Digitized by Google

ius terris primam lucem aſpexerat, amorque adeo in patriam. Heluetica, Brisgouica et Martianae Syluae Monaſteriorum documenta, quae repererat hucusque incognita, originibus Badenſibus nouam cum accendiſſent lucem, Sereniſſimo Marchione CAROLO FRIDERICO volente, probante aggreſſus eſt opus, quod Voluminibus ſeptem formae quartam, quam vocant, regiam, intra quadriennium abſoluit. Cuius auſpiciis, eiusdem ſumtibus prodiit opus, PRINCIPIS, quem non ego, qui parum facundus ſum, ſed praeclara facinora laudauerint, munificentiam et in literas fauorem ſummum, Auctoris vero, in provecta iam aetate, ad res tanti momenti et tam ardui laboris feliciter agendas animi vigorem ſeris omnibus nepotibus vsque locuturum, barbaram philoſophulorum noſtrorum et horridam elumbemque iuniorum noſtrorum tantum non omnium loquentiam dicam an eloquentiam? pudefacturum aeternum.

Vt

Vt ſimile quid audere de ſuis rebus poſſent olim Palatini, Palatinamque hiſtoriam conſcribere poſt nos victuri, Anno MDCCLXIII. Academiam Scientiarum et elegantiorum Literarum, inueſtigandis Palatinis omnium temporum rebus, vt et indagandae naturali Palatinatus hiſtoriae, Noſtro ſuaſore, Sereniſſimus Elector Palatinus, CAROLVS THEODORVS inſtituit Manhemii, eamque Theodoro-Palatinam appellari permiſit. Inauguratio eius facta XII. Cal. Nouembr. in ipſa Bibliothecae Electoralis Baſilica, Electore cum Aula ſua praeſente. Inaugurationis initium fecit SCHOEPFLINVS oratione ſolenni. In primo Conuentu Academiae priuatorum et inſigne expoſuit *monumentum*, quod *Diocletiano* et *Maximiano Auguſtis eorumque Caeſaribus Ciuitas Moguntiacenſis pro ſalute eorum* dedicauerat publice, quodque Ladeburgi paulo ante repererat. Marmor hoc in Palatium Manhemienſe translatum,

alia

alia numero quadraginta intra triennium attraxit, quae ex Palatinis terris vndique allata Thesaurum Inscriptionum Palatinum constituunt, quem Thesauro Numismatico Palatino BEGERI ponas ad latus. Academiae Palatinae Conuentibus, qui per semestria vere et autumno publice habentur, fere omnibus interest atque honorarius Academiae Praeses oratione eos aperit solenni. *Nullam Electoralem nec ex reliquis Germaniae Proceribus Domum plures doctos Principes produxisse, quam Palatinam,* duobus in Academiae panegyri sermonibus docuit, addiditque nuper de *Ingelheimensi Caroli M. palatio* commentationem erudite et eleganter conscriptam, dissertationemque, qua *sepulcrum Romanum Schrisbemii*, haud procul Heidelberga, in strata Montana nouiter detectum et singulas eius partes, Hypogaeum vel Columbarium, Sacellum atque Triclinium expositit; quas scriptiones omnes foecundi, si quod vn-

quam,

quam, ingenii teſtes Volumen primum Commentariorum Academiae continet, praeter vltimam, volumini ſecundo ſuo tempore inſerendam. Primum Volumen Actorum Academiae, ante triennium inſtitutae, obtulit Electori, menſe Octobri Anni MDCCLXVI. ſingulis bienniis nouum promittens.

Numos, Electorum omnium ad ſe vsque effigies, eleganter expreſſas, ſiſtentes cum inſcriptionibus a SCHOEPFLINO olim confectis, cudi artificioſiſſime poſtquam curauerat, aliquot abhinc annis, Elector, illorum collectionem ad SCHOEPFLINVM, huius ſui laboris dudum oblitum, miſit, addito aureo, CAROLI THEODORI effigiem exhibente, omnes et ſingulos capſula, vt moris eſt, ſua incluſos; Similes aureos numos plures, a principibus Viris et a noſtro quoque PRINCIPE SERENISSIMO in donum SCHOEPFLINO datos oſtentat Numophylacium SCHOEPFLI-

PFLINIANVM, auguſtum ſummi Magnatum et Imperantium in ſe ſauoris delubrum. Addam vnicum adhuc, alius licet generis, donum ad Noſtrnm ante biennium transmiſſum, omnia enim referre nec mei propoſiti nec neceſſe eſt. Anno MDCCLXIV. ab AVGVSTISSIMO SICILIARVM REGE Herculanei veteris Antiquitates, regiis ſumtibus magnificentiſſime, vt nouimus omnes, impreſſas, dono accepit; probantes abunde ſui memoriam in regionibus illis ſupereſſe adhuc Iuuenemque Regem iis, qui iuſtum meritis pretium ſtatuere nouerint, cinctum in ſpem non vanam Europaei orbis eruditi adoleſcere.

Vidimus acceptantem dona aliorum SCHOEPFLINVM, videamus Illum nunc ipſum donatorem et ita dantem, vt decet magnas animas, benefaciendo beatas. Scilicet Bibliothecam ſuam omnem SCHOEPFLINVS Anno MDCCLXIV. cum Manuſcriptis codicibus, cum Lara-

rio, Numophylacio, Marmorario, Vasario, quorum maximam partem in Italia olim collegerat, vna cum omnibus Monumentis veteribus, quae in Alsatia et apud vicinos iuuenit, congessit, Argentoratensi Ciuitati obtulit in donum, sine addita conditione alia, quam vt omnia conseruentur, augeantur semperque pateant literatis, inquilinis et exteris, vti hactenus patuerunt. Ciuitas donum accepit annuumque centum Ludouicianorum aureorum donum donatori viciſſim obtulit. Res in solenni Magistratus consessu tractata, ad quem Eum inuitarunt Patres Conscripti. Hos Ille allocutus est oratione, qua constantem Senatus Argentoratensis in literas, a prima earum restauratione, et in literatos fauorem, atque adeo Argentinam Doctam publice laudauit, omnibus benignitatis testimoniis a consessu dimissus.

Venio tandem ad vltimum et nuperum SCHOEPFLINI mei publicum actum,

actum, quo Ille menſe Martio Anni MDCCLXVI. Ciuitatis et Academiae Argentoratenſis nomine LVDOVICO XV. Quinquagennalia Regiminis gratulatus eſt, oratione in ſolenni Panegyri habita, poſtquam per viginti annos abſtinuerat a cathedra Regisque Natales aliasque Eius feſtiuitates viginti quatuor orationibus iam ante illud vicennium, celebratiſſimus ipſe Orator, celebrauerat. Veteranum tum oratorem Ipſe ſe dixit, modeſtus nimium; nos maſculum adhuc et talem, qualis toties fuerat, dicemus inuerſisque paululum verbis, quibus Regem ſuum allocutus eſt ipſe, non corporis, non animi vigore Senem, ſed ſolo annorum numero dicemus; quos Ille annos omnes, ipſamque grandaeuam ſenectutem, ſeptuageſimum ſecundum aetatis annum iamiam ſupergreſſus, rei literariae, quantum in Ipſo eſt, incrementis et ampliandis finibus laetus impendit et diu adhuc vt impendere poſſit nemo non mecum

optabit Viro, ſummis et medioximis, bonis et eruditis omnibus, ob praeclaram indolem, excellentem doctrinam, indubia merita amabili et amato amandoque, dum ſuus literis honos habebitur.

Ceterum quod Noſter proximo vere Manhemium et ad nos, ad Fürſtenbergenſem dein et Conſtantienſem Principes meditatur iter, illudque quod per inſequentem aeſtatem ingreſſurus eſt ad Illuſtriſſimum S. R. I. Comitem COBENZELIVM, Bruxellis imperatorio nomine ad rerum gubernacula ſedentem Filiique ad prodigium docti, ex Schola SCHOEPFLINIANA proditurі, amplexus anhelantem, id nos quidem Illi felix fauſtumque et rei tum publicae tum literariae commodis vt eueniat precabimur, Seni Venerando hoc ſuo diſcipulo et quatuor ſuis RASVMOFSKIIS, tribus item aliis Comitibus multoque pluribus, quibus ex Nobilium ordine generoſis adoleſcentibus per hanc hiemem cinctus fuit, impenſe laetanti hanc

ſuam

ſuam laetitiam laeti gratulabimur proficiſcentem piis votis comitabimur vtque ſaluus eat et redeat fore bene ſperabimus.

Habetis, Auditores, publicam Illuſtris SCHOEPFLINI Vitam, priuatam ſi vultis, haec paucis adhuc habete. De valetudine, quam nec anxie curat nec incurius vnquam neglexit, bis tamen A. MD CCXXXIII. et decennio poſt ita periclitatus eſt, vt mortuum, qui viuit adhuc et bene valet, iam ante hos ſex et triginta annos carmine ploraret, qui tum Argentorati degebat, bonus TRILLERVS nec, vt ſumus amantes liberorum noſtrorum, temperare ſibi potuerit, quin ſuae Carminum, vernaculo idiomate conſcriptorum, collectioni illud Epicedium inſereret. Coelibem vitam cum egerit ſemper, domeſticam rem omnem Soror curat; menſam nec parcus nec prodigus, frugalem inſtruit, ad quam liberaliter omnes admittit, qui-

bus vel amicis frui, vel indigis benefacere vult, laetus ipse conuiuis hospes; multi cibi inter prandendum, multi sermonis et iucundissimi colloquii; incoenatus cubitum ire longo abhinc tempore consueuit, hancque, quam sibi scripsit Ipse legem, vbicunque et apud quoscunque sit, nunquam transgreditur. Saepius tamen domo abest ipse et Procerum mensis ac conuiuiis optatus et expetitus hospes interest. In Vestibus inter antiquos et iuniorum mores, quod virum grauem decet, medius incedit; serica vel holoserica nigra vtitur, cum inter Principes vel Magnates vel in solennitate versatur, communi, cum sibi relictus est; elegantiam non affectat, sed exprimit vultu, gestu, incessu, moribus ad illam longo cultissimorum hominum vsu formatis. In omni vitae vsu singulare, tetrum et deforme nihil in illo deprehendas; vitam quae reddant iucundiorem beatiorem que omnia; aditu facilis est, dictu affabilis; si quos

iuuare

iuuare poteſt, ſi quos errantes in viam reducere, ſi quid boni promouere, totus in eo eſt et indefeſſus, prudens tamen et temporibus ſeruiens; nullis affectibus, niſi illis, qui ex bene faciendo naſcuntur, obnoxius vnquam, laetus ſcilicet et hilaris, ſi quem ſuo conſilio, ſuis rebus, ſuo exemplo iuuit; ſi quem contra ingratum aut inurbanum, vt ſolet fieri, expertus eſt, dolet, nec tamen male collocati vel beneficii vel opis vel conſilii eum poenitet. In omni vita purus, in omni colloquio decens, in omni hominum conſortio blandus, vt non inter libros ſed inter homines adoleuiſſe vitamque exegiſſe credideris. Boni verique cultor perpetuus, ingenuus in probando et reprobando, apertus in enuncianda animi ſententia, prouidus in cauendo, ne literae ob literatos habeantur contemtui, nunquam certe propter Illum contemtae. Principibus viris carus et optatus, aequalibus, ſine ſtrepitu, ſine faſtu, a quo in omni vita abhorruit, aequalis,

inferioribus et imis placidus et ſerenus, omnibus venerandus; nulli non verbis honorum et externa morum elegantia commendatus, nulli non talis, quales eſſe omnes optamus, pauci ſumus.

---

p. 103. lin. 11. obliuiſceretur *lege*: deponeret.

SCRI-

Digitized by Google

SCRIPTA SCHOEPFLINIANA.

1711. 1) Dissertatio, qua *antiquus Lapis, Tergestinus* declaratur, additis *XIV.* ex *historia veterum regnorum* vexatis *quaestionibus*, Basileae sub praesidio Iseliano ventilata 4. pagg. 62.

1717. 2) Oratio, qua sistitur *Germanicus, rarum Principis ad spem imperii nati exemplar.* Argent. 4. pag. 22.

1719. 3) Oratio consecrandae Memoriae *Io. Henr. Barthii, Doctoris Theologi* Argentinensis. Argent. 4. pag. 20.

1721. 4) De *Origine, fatis* et *successione Regni Nauarrae* ad nostra vsque tempora dissertatio, praeside Kuhnio. Argent. 4. pag. 88.

5) Oratio consecrandae Memoriae *Io. Casp. Kuhnii, Histor. et Eloq.*

Prof. Argentinenſis. Argent. 4. pag. 22.

1722. 6) *Panegyrici Ludouico XV. regiis Natalibus dicti* Annis 1722. 23. 24. 25. 29. 31. vsque ad A. 45. incluſiue. Argent. fol. typis exſcripti ſinguli, praeter illum, quem A. 1725. dixerat, quod paulo poſt nuptialis Oratio habita. Omnium harum Orationum panegyricarum aliarumque Eiusdem nouam editionem, Vita Auctoris notulisque a me auctam, proxime dabo forma, quam vocant, quarta maiori.

1723. 7) *Miſcellanea biſtorica.* Argent. 4. pag. 14.

8) De *Alemannicis Antiquitatibus* Commentatio, qua integra veterum Alemannorum fata vsque ad extinctam eorundem rem publicam traduntur. Argent. 4. pag. 60. additus eſt Index.

9) *Ob-*

Digitized by Google

9) *Obſeruationes hiſtorico - criticae.* Argent. 4. pag. 12.

10) *Selecta hiſtorica.* Argent. 4. pag. 16.

1724. 11) *Illuſtres ex hiſtoria Hiſpanica controuerſiae.* Argent. 4. pag. 28.

1725. 12) *Illuſtres ex Clodouaei Magni hiſtoria controuerſiae.* Argent. 4. pag. 24.

13) Oratio Nuptialis, qua *Ludouico XV. Nuptias*, praeſente Stanislaó Rege, *gratulatus eſt.* Argent. fol.

14) *Obſeruationes hiſtoricae*, quibus Origines Romanae diſcutiuntur. Argent. 4. pag. 14.

15) *Varia critica* ex hiſtoria ſacra et profana. Argent. 4. pag. 16.

16) *Analecta hiſtorica*, Argent. 4. pag 16.

1726.

Digitized by Google

1726. 17) De *extincto* et *reſtaurato Occidentali Imperio.* Argent. 4. pag. 104.

1729. 18) Genethliacus, quo *Ludouico XV. Delphini Natales* gratulatus eſt. Argent. fol.

1730. 19) De *Apotheoſi* ſiue Conſecrationibus Imperatorum Romanorum. Argent. 4. cum fig. aeri incifis. pag. 114. additus eſt Index.

1731. 20) *Illuſtres* ex *Britannica biſtoria controuerſiae.* Argent. 4. pag. 84.

21) De *Auſpiciis Romanorum.* Argent. 4. pag. 45.

22) De *Burgundia Cis-* et *Trans-Iurana.* Argent. 4. pag. 76. acceſſit Index.

1734. 23) Les *Armes du Roi iuſtifiés* contre l'Apologie de la Cour de Vienne. Strasbourg. 4. pag. 16.

1735.

Digitized by Google

1735. 24) *Illuſtres* ex *Francica hiſtoria controuerſiae.* Argent. 4. pag. 23.

1740. 25) Programma *Secularia* inuentae *Artis Typographicae* celebranda indicens. Argent. 4. pag. 8.

1741. 26) *Commentationes hiſtoricae* et *Criticae.* Baſileae 4. Continet hoc Volumen ſcripta, quae ſub Numeris 4. 8. 11. 12. 17. 19. 20. 21. 22. 24. et 25. notauimus et excerpta ex diſſertatione Nro. 1. notata. Acceſſerunt, quarum nondum mentionem fecimus, commentationes

27) De *Sacris Galliae Regum in Orientem expeditionibus*, a. p. 321. ad 366.

28) *Dubia hiſtorica.* a. p. 427. ad 434.

29) Diſſertatio hiſtorica, qua fiſtitur *Chronologia Romanorum Syriae Praefectorum*, Pontificum Iudaeorum

rum atque Iudaeae Proconſulum, a p. 465. ad 498.

30) Obſeruationes ad *Librum Diurnum*. a p. 499. ad 532.

31) *Formula Pacis* inter Fridericum Barbaroſſam et Alexandrum III. a p. 533. ad 536.

32) *Innocentii VIII. Bulla* Diſpenſationis inter Carolum VIII. Regem Franciae et Annam, Duciſſam Britanniae data A. MCCCCXCI. a p. 531. ad 540.

33) *Recenſio Actorum Conſilii Baſileenſis*, quae inter Codd. MSC. regii Nauarrae Collegii etc. extant. a p. 541. ad 556.

Commentariis Regiae Inſcriptionum Academiae Pariſienſis ſequentes inſertae ſunt, ſuo quaeque loco et tempore, Noſtri lucubrationes.

34) *Super*

Digitized by Google

34) *Super Monumentum Legionis VIII.* Auguſtae Argentorati repertum.

35) De *Gentis Treboccorum Origine et Situ*, occaſione columnae in veteri Brocomago A. 1735. repertae.

36) *Super Fragmentum Liuii*, ex Salernitani Coenobii Cod. MS. olim deſcriptum a Matthaeo Rockio.

37) De *Typographia* ante A. 1440. *a Gutenbergio reperta*, qui cum Dreizehnio ac Heilmanno, Argentinenſibus ciuibus, Sociis ſuis, iam A. 1439. litem apud Magiſtratum Argentinenſem hac ſuper re habuit, ex Actis et documentis publicis, huc vsque ignotis, eruta et demonſtrata.

1751. 38) *Alſatiae Illuſtratae* Tomus prior. Colmariae ex Typographia Regia, fol. cum figuris plurimis aeri

aeri inciſis, pag. 819. additus eſt index.

1752. 39) *Vindiciae Celticae.* Argent. 4.

1760. 40) *Vindiciae Typographicae.* Argent. 4. pag. 220. cum documentis Typographicarum originum tunc primum editis et tabulis ſeptem aeri inciſis.

41) *Alſatiae illuſtratae* Tomus poſterior. Colmariae. fol. pag. 748. cum figuris multo plurimis aeri inciſis. accedit index.

1763. 42) *Hiſtoria Zaringo - Badenſis.* Volumin VII. Carolsruhae. 4. cum tabulis pluribus aeri inciſis. accedit index.

1766. 43) Panegyricus *Ludouico XV. ſecundum Imperii ſemiſeculum ingreſſo* dictus. Argent. fol.

Commentationum Academiae Theodoro - Palatinae Volumini I. ſequentia Noſter inſeruit.

44)

Digitized by Google

44) De *Ara votiua Ladenburgenſi*, imperatoribus et caeſaribus rom. a Moguntiacenſi ciuitate ſeculo III. exeunte dicata, a p. 183. ad 192.

45) De *Caeſareo Ingelheimenſi Palatio* a p. 300. ad 321.

46) *Oratio Inauguralis* et aliae SCHOEPFLINI in publicis Academiae conuentibus recitatae leguntur ibidem p. 9. ſqq.

Volumen harum Commentationum ſecundum, ſuo tempore publicandum, duas dabit Noſtri diſſertationes ſequentes vnam

47) *Super Monumentum ſepulcrale Schriesheimii repertum*; alteram

48) *Vindiciae Rupertinae* inſcriptam addenturque iterum

Digitized by Google

49) *Orationes in* ſolennibus *Academiae conuentibus* iam recitatae.

1767. 50) *Alſatia Diplomatica.* Argent. fol. ſub prelo.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google